

XLIV.

Sunt denique Idola quæ immigrarunt in animos hominum ex diuersis Dogmatibus Philosophiarum, ac etiam ex peruersis legibus Demonstrationum; quæ Idola Theatri nominamus; quia quot Philosophiæ receptæ aut inuentæ sunt, tot fabulas productas & actas censemus, quæ Mundos effecerunt ficitios & scenicos. Neque de his quæ jam habentur, aut etiam de veteribus Philosophiis & Sectis tantum loquimur, cum complures aliæ ejusmodi fabulæ componi & concinnari possint; quandoquidem errorum prorsus diuersorum causæ sint nihilominus ferè communes. Neque rursus de Philosophiis vniuersalibus tantum hoc intelligimus, sed etiam de Principiis & Axiomatibus compluribus Scientiarum, quæ ex traditione & fide & neglectu inualuerunt: Verum de singulis istis generibus Idolorum, fusius & distinctius dicendum est, ut Intellectui humano cautum sit.

XLV.

Intellectus humanus ex proprietate suâ facile supponit maiorem ordinem, & æqualitatem in rebus, quàm inuenit: Et cum multa sint in Naturâ monodica, & plena imparitatis, tamèn affingit Parallela, & Correspondentia, & Relatiua quæ non sunt. Hinc Commenta illa, In cœlestibus omnia moueri per circulos perfectos, lineis spiritalibus & draconibus (nisi nomine tenus) prorsus reiectis. Hinc elementum Ignis cum Orbe suo introductum est ad constituendam